

Disputt. in Apocalypsim D. 7.) probatur non paucis ea interpretatio quod scilicet eo numero septenario universitas Angelorum significatur, et sic illi sint omnes Angeli; verum septenarius iste numerus solet quidem in Scripturis pro numero rotundo aut indefinito poni, sed tamen numero minore, ut non admodum multi sub eo possint intelligi; Angeli vero omnes profecto sunt multi. Vel ergo pauci ibi Angeli significantur vel simpliciter tenenda est literalis et obvia interpretatio secundum quam septem Angeli sunt reapse septem Angeli speciales distincti a ceteris. Et licet quis censere velit quod ipsi sint septem Angeli tutores septem Ecclesiarum, de quibus Ecclesiis mox occurrit sermo; distincti profecto ab iis, qui paulo post vocantur Angeli septem Ecclesiarum, nam Angeli septem Ecclesiarum repraesentantur per septem stellas (I, 20) et ad eosdem Angelos ipse Ioannes scribit (II, III); haec tamen interpretatio nulla ratione falcitur. Quid quod Apostolus deinde mentionem quoque facit septem Angelorum cantantium tubis c. VII. et aliorum septem habentium phialas irae Dei c. XVI. et septem spirituum, qui missi sunt in universam terram c. V. 6., qui possunt censeri iidem semper esse? Non est ergo ratio cur potius de tutoribus Ecclesiarum quam de his ea verba (I, 4.) interpretemur. Cum autem specialis eorum mentio fiat et post Deum immediate appellentur ab Apostolo, probabile est eos esse septem excellentiores ceteris, seu principes primos inter Angelos, e quorum numero testatur (I. c.) se esse Raphael, et dicitur esse Michael (Daniel. X, 13). Hi autem vel assumpti sunt ob sua merita ex omnibus choris Angelorum, vel chorum quemdam specialem ab initio constituebant. Zacharias vero R. P. in Romana Synodo vetait quidem alia nomina horum Angelorum praeter tria nota usurpari, sed nihil quoad quaestionem de speciali dignitate septem Angelorum definit, qui alieni postea, ut in Sicilia et Romae quoque in templo S. Mariae De Angelis, cultum specialem obtinuerunt. Cf. Commentarios Blasii Viegas in Apocalyp. in h. 1.

ARTICULUS II.

DE HOMINE

Thesis XXV.

Nobilissimum creationis opus inter visibilia est homo. Certum est autem ipsum non incepisse existere veluti terminum cuiusdam evolutionis organicae aut animalis, sed immediate in sua specie conditum fuisse a Deo.

I. Constat primum a) inspecta hominis natura ac comparatione instituta eam inter ceterasque naturas sensibiles. Id quoque b) affirmant Patres, cum rationem exquirunt cur ex tot naturis ultimus homo sit productus. Eam enim repetunt ex hoc quod ipse sit finis proximus omnium visibilium, ideoque eorum veluti rex: quocirca ait Nazianzenus orat. XLIII. « Si postremus homo creatus est, nemini mirum videri debet. Construendum enim prius tanquam regi palatium erat, atque ita rex introducendus omni iam suo satellitio stipatus. » Ita et Zacharias Mitylensæus De Mundi Opificio. « Oportebat enim quasi regi et convivae ab omnium rege et epuli magistro praeparari regias aedes et convivium. » Idem et Nyssenus De hominis opificio c. 2. et Severianus Gabilitanus Orat. 4. docent. Iam vero si homo postremus est inductus in mundum quia rex est et ad ipsum omnia ordinantur; ipse excellentior ceteris dicendus est.

Constat id rursus c) ex modo quo a Moysæ creatio hominis describitur. Significatur enim aliquid praestantius ceteris moliri Deum. Etenim, ut advertit Nyssenus De hominis Opif. c. 3. « Tumultuarie quodammodo creatura alia divina virtute producitur, solo imperio subsistens. Hominis vero structuram consilium antecedit, et ab artifice ipso quadam sermonis pictura quod futurum erat adumbratur. » Et Gregorius Papa Moralium L. IX, c. 27. « Quamvis per coaeternum Patris Verbum cuncta creata sint: in ipsa tamen relatione creationis ostenditur, quantum cunctis animalibus, quantum rebus vel caelestibus sed tamen insensibilibus homo praeferatur. Cuncta quippe dixit, et facta sunt. Cum vero facere hominem decernit, hoc, quod reverenter pensandum est, praemittit dicens: faciamus hominem etc. Ut videlicet quia rationalis natura condebat, quasi cum consilio facta videretur. Quasi per studium de terra plasmatur; et inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur, ut scilicet

cet non per iussionis vocem, sed per dignitatem operationis existeret, qui ad conditoris imaginem fiebat. » Et Tertullianus De Resurr. Carnis c. 5. « Et fluxit, inquit, Deus hominem. Magnae sine dubio differentiae ratio, pro conditione scilicet rerum. Minora enim quae fiebant eo cui fiebant. Siquidem homini fiebant, cui mox a Deo addicta sunt. Merito igitur, ut famula, insu et imperio, et sola vocali potestate universa praecesserant. Contra homo, ut dominus eorum, in hoc ab ipso Deo extractus est, ut dominus esse posset, dum fit a Domino. »

Constat tandem *d*) ex eo quod dicitur factus ad imaginem et similitudinem Dei. Gen. 1, 26. Haec phrasis in Tractatu de Ordine supernaturali distinctius explicabitur. Modo satis sit advertere hanc eandem loquendi rationem occurrere, cum Adam Gen. V. 3. gignere dicitur; ideoque sensum communem vocis in utroque loco, licet sub ratione confusa, hunc esse debere; nempe ut per ea verba exprimat species quadam similitudinis praestantissima, quae existere possit Deum inter et hominem; a qua profecto ceterae res visibiles quam maxime distant. Cf. Theses VIII.

II Cum dicimus hominem immediate in sua specie conditum fuisse, per *τὸ* immediate non excludimus cooperationem alicuius causae secundae, puta Angeli, in formatione hominis scilicet quoad corpus: licet enim huius cooperationis nulla Gen. 1. et II mentio occurrat videaturque maxime decere ut in prima constitutione naturarum Deus ex se solo operetur; tamen si quis contenderet nihil pariter occurrere in verbis Moysis, quod talem cooperationem necessario excludat, eamque improbabilem haud esse, nolumus cum isto de hac re litigare. Neque, ut manifestum est, excluditur praesentia alicuius materiae per se indifferentis, quae a causa agente formetur in corpus, cui anima infundatur. Sed excludimus id quod proficitur opinio nunc haud parum vulgata transformationis specierum, quod spectat ad hominem. Hac enim supposita opinione, natura humana prius exsistisset virtute in ea natura animalis, quae successive ab una specie in aliam transformata eum gradum explicationis tandem obtinisset, qui esset humana natura. Id vero mitius quidam accipiunt, unde duplex est ratio admittendae huiusmodi transformationis.

Lamarckiana enim opinio, quam multiplice eruditione illustravit suamque fecit Darwinus, statuit ab initio quasdam primitivas plantas et quasdam primitiva animalia condita fuisse a Deo, eadem porro in successiva explicatione sui tum propter extrinsecas causas tum praecipue vi cuiusdam selectionis fuisse sensim sine sensu transformata in alia viventia atque animalia, et ita porro donec eae plantae ea-

que animalia existerent, quae ab aetate usque historica haecenus existunt, atque inter haec ipse homo. Aruit enim postea, nescio quo fato, vis transformativa, eaque viduata sterilis evasit natura. In hac opinione, ut liquet, non negatur creatio materiae atque divina institutio ordinis huius physici atque primorum viventium et animalium divina productio immediata. Iam vero cum ventum est ad hominem, ii qui presse opinionem istam urgent et amplectuntur, censent hominem quoque ex integro, non secus ac alia praecedentia animalia, fructum esse transformationis. Alii vero audacem opinionem temperantes putant concedi posse quod homo secundum corpus terminus fuerit cuiusdam transformationis animalis: animam vero a Deo immediate creatam et infusam fuisse. Multiplex proinde exoritur quaestio: primo de puris animalibus plantisque seorsim, tum speciatim de homine: et quoad hunc dupliciter, scilicet vel secundum totum, vel saltem secundum corpus. Item duplex est ratio huius tractandae quaestionis, nimirum vel secundum sola principia rationis, vel secundum fidem: quae distinctio huc redit, utrum videlicet rerum naturis per se spectatis, dicendum sit possibile fuisse quod ea opinio tenet, utrum spectata revelatione quae creationem rerum docet ac modum quo res creatae sunt, factum istud transformationis specierum ut probabile saltem admittere liceat, an potius eidem revelationi adversum censi debeat.

Ad animalia tantum quod attinet, nolumus heic litigare; quavis, ut id per transennam inuamus, satis aperta nobis videatur doctrina Moysis quod Deus talem instituerit propagationem viventium, ut lege constanti et universali (cui aliqua exceptio ex affinitate specierum orta non repugnare) fieret secundum similitudinem speciei (I, 11. 21. 22): et ratio ipsa docens animas brutorum et materia fieri non posse non parum adversetur transformationi huiusmodi specierum. Quaestionem tamen hoc in loco institimus de homine tantum. Doctus quidam Theologus anglus Georgius Miwart his nostris diebus censuit opinionem asserentem non solum animalia ex animalibus transformata fuisse, sed ipsum corpus hominis terminum fuisse cuiusdam transformationis animalis, cui corpori Deus animam rationalem infuderit, et sic primus homo exstiterit, haud improbabilem esse secundum rationem, et non repugnare narrationi creationis et formationis hominis, quae prostat in Genesi, iuxta universae Ecclesiae sensum intellectae (Lessons from Nature. London 1876. - Genesis of species. Dublin Review Ianuar. 1872. Cf. Stimmen aus Maria Laach Julii et Augusti 1877.).

Iam vero de homine tantum quaestionem instituentes non disputamus de possibilitate, an scilicet potuerit Deus corpus quoddam ex

animali genitum assumere, eique vel propter praecedentes transformationes iam idoneo (de quibus transformationibus, ut diximus, haec non disputamus) vel paucis pro complemento mutatis animam rationalem infundere, et sic hominem sistere praesentem. Hac omnia quaestione, restat quaestio facti secundum doctrinam revelationis. Quae quidem dupliciter agi potest, nimirum vel inspecta tantum narratione mosaica, habitaque ratione eius, quod ex ea sola ope hermeneutica colligi necessario debet, vel adhibita quoque Patrum interpretatione. Nunc primo modo agentes quaestionem facti, affirmamus narrationem Mosaicam excludere opinionem asserentem originem hominis per transformationem speciei, si de integro homine sermo est: si autem de corpore tantum fiat quaestio, affirmamus aegre admodum (ut minimum dicamus) originem hominis per transformationem speciei conciliari posse cum mosaica narratione, si transformatio mitius accipiatur: quod si eadem pressius intelligatur, huiusmodi originem hominis prorsus abhorreere a mosaica narratione. Quae quidem explicare oportet: et quia, ut patet, haec quaestio implexa est, eam in suas partes dirhibemus. Quaestio esse potest de homine tantum secundum corpus, h. e. de corpore solo: quaestio potest esse etiam de anima rationali; atque haec quaestio duplex est. Nam quaeri potest utrum per vim ipsam transformativam praecedentis animalis inducta sit efficienter anima rationalis in corpus, vel quaeri potest utrum per eandem vim inducta sit in corpus talis dispositio, quae secundum naturae leges exigeret infusionem animae rationalis, non secus ac affirmamus modo contingere cum homo ex homine gignitur. Item quoad corpus duplex est quaestio. Nimirum utrum Deus sumpserit corpus alicuius animalis nondum ex se satis idoneum ad functiones vitae humanae illudque virtute sua Deus ita conformaverit ut domicilium esse valeret animae rationalis, vel utrum Deus corpus ex animali formatum suaque structura idoneum ad vitam humanam acceperit, animamque rationalem eidem infuderit. Quaestio haec altera de corpore est eadem reapse ac altera praecedens de anima, si lex transformationis specierum fuit lex divina, ut proinde existente novo termino transformationis secundum corpus, nova anima ei conveniens infundi deberet, ut species nova constaret.

III. His positus, quaestio prior: an per vim transformativam sit inducta anima, facile expeditur. Constat enim animam rationalem non nisi per creationem Dei existere posse, idque a Moysae tradi, qui asserit hominem creatum esse (i, 27.) animamque rationalem inspiratam ei fuisse a Deo (II, 7. cf. Th. seq.). Quod attinet ad alias quaestiones, expendimus primo sententiam mitiorem concedentem quod corpus animalis sumptum a Deo nondum ex se fuerit idoneum ad vitam humanam,

ideoque aliqua indigerit mutatione, quae vel ante infusionem animae, vel per ipsam animam infusam effecta fuerit a Deo. Hanc sententiam 1. quidem negamus esse vere darwinianam, quia nondum ope naturae se transformantis existit corpus hominis, et actio Dei immediata intervenit. Quare dato etiam quod sic accipi possint verba Moysis, non esset consequens opinioem darwinianam quoad corporis humani originem haud repugnare narrationi mosaicae. Affirmamus 2. eandem quoque ita temperatam cum mosaica narratione aegre admodum conciliari.

IV. Sane ait Moyses Gen. II, 7. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae: hebraice ad litteram: hominem pulverem de terra: in quibus verba *de terra* coniunguntur cum termino *pulverem*, ut significetur pulvis qui est de terra, pulvis terrenus; terminus autem *pulverem* est subiectum actionis expressae verbo formavit יצר, quod duo recipit accusativa, alterum rei quae fit, alterum subiecti ex qua res fit. Sensus ergo est: indidit Deus pulveri formam hominis. Hominem haec supponere pro parte sui tantum h. e. pro corpore constat ex eo quod homini formato dicitur inspiratum a Deo spiraculum vitae, quod vitae principium interius repraesentat, quod anima vocatur. Verbum *formare* significat quandam actionem specificè distinctam ab omnibus aliis: narrat autem Moyses tunc istam Dei actionem habuisse locum, cum res aliae iam conditae fuissent, et tamen homo non erat qui operaretur terram II, 5. coll. I, 26. ex quibus patet quod non solum virgulta et herbae quorundam diserta fit mentio, sed et animalia iam existebant, homo scilicet solus deerat qui operaretur terram. Quocirca formatio hominis tunc incepit cum iam cetera existent: quo spectat illa coniunctio causalis: formavit igitur: cum nempe cetera existent, solusque homo deesset, ideo deus illum non qualicumque modo fecit, sed formavit. Porro ex verbis Moysis liquet quod subiectum huius actionis fuit pulvis, terminus actionis *impressio formae*, forma vero *corporis humani*. Iam vero cum verbo יצר formavit additur subiectum actionis, illud subiectum est immediatum. Patet id, si conferas usum verbi יצר peones hebraeos; imo constat id usum cuiuscumque linguae, cum opus artificis aliquid ex aliquo efformantis describitur, et ratio ipsa ostendit: nam mentio, quae fit subiecti, eo spectat ut indicetur id ex quo res ab agente fit, h. e. id quod supponit agens et in quo operatur; operatur autem indendo aliquam formam: id vero quod supponitur actioni formanti, si haec actio integre h. e. ab initio ad finem usque spectetur, est immediatum subiectum formae. Nonne, inquit, dicere licet: ex pulvere quis formavit domum, quia lateres, quibus est usus, tandem sunt ex pulvere? Respondeo id tantum licere, si idem ipsi

pulveri impressit formam laterum, ut proinde ex hac forma eius actio formativa inceperit: secus autem, id nullo modo fert usus loquendi: nam subiectum, cuius mentio facienda est cum formatio describitur, non est simpliciter subiectum rei, sed subiectum formatio- nis, h. e. a quo incipit formatio huius vel illius agentis.

His statutis ita arguimus. Quoniam novimus Deum indidisse pul- veri formam corporis humani, et inter pulverem atque hanc for- mam plures sunt formae intermediae quae possent successive et seor- sim imprimi pulveri, vel dicitur Deus actione sua sola impressisse pulveri has formas usque ad formam humanam, vel dicitur eas im- pressisse mediante operatione causarum naturalium, h. e. praece- dentium animalium, ex quibus prodiit corpus humanum. Si primum dicitur, aufertur transformatio specierum quae ope naturae fieri de- bet, et habetur actio formativa Dei immediata: alterum vero dici nequit. Nam in hac hypothesi formatio corporis humani inceperisset ab initio cum primum animal formatum est, atque paulatim proces- sisset huiusmodi formatio usque dum ex aliquo animali corpus aptum ad functiones humanas exstitisset: atqui ex animadversis constat quod formatio hominis post ceteras naturas existentes incepit. Quia vero hoc alterum evidenti argumento ex sola Moysis narratione demon- strare non valemus, sed tantum maxime probabili; ideo nolimus simpliciter affirmare quod ex sola inspecta narratione Moysis fiat evidenter manifesta falsitas huius opinionis. Negari tamen nequit hunc esse eiusdem obvium sensum, qui, nisi aliqua prudens ratio obstat, tenendus est. Argumentum modo allatum confirmari potest et illustrari magis his aliis duabus animadversionibus. Prior est: constat feminam fuisse immediate quoad corpus formatam a Deo (Gen. II, 21. 22): abhorret autem a sensu Christiano arbitrari quod origo viri fuerit ignobilior origine mulieris: ergo et vir fuit immediate forma- tus a Deo: hoc enim per se spectat ad nobilitatem originis, quod im- mediate a Deo procedat. Altera est: verba Dei sunt ad Adamum lap- sum: donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es et in pulverem revertaris. Obvius autem horum verborum sen- sus is est ut immediata origo hominis e terra significetur: et quem- admodum cum in terram revertitur, corpus non transit per inferio- res formas animalis et plantae, ita et cum formatum fuit, non transiit successive per istas formas intermedias, sed ex pulvere seu limo fuit immediate formatum corpus humanum.

V. At si haec transformatio speciei pressius accipiatur ita ut cor- pus idoneum ad vitam humanam profierit ab animali, dicendum est, quemadmodum iam advertimus, quod tale corpus ex lege insti- tutionis naturarum exegerit infusionem animae rationalis. Sappouit

enim legem esse naturae seu conditoris naturae hanc progressi- vam specierum transformationem intentamque esse a Deo, qui pro- inde voluit novis existentibus corporibus pro nova specie idoneis novas existere species. Et sane tenendum est Deum statuta mundi creatione voluisse existentiam speciei humanae, pro qua cetera visibilia sunt creata; instituta proinde transformatione specie- rum oportuit legem fuisse naturae ut existente iisdem corpore idoneo ad humanam vitam, ipsi anima rationalis infunderetur. Ex quo consequitur quod tale corpus existens vi generationis suae exer- gerit animam rationalem. Ex hoc autem consequens est quod ani- malium illud par, a quo talis corpus immediate genitum est, fuerit vere parentes Adami integre spectati. Nam non alia ratione qui nos gignunt, etsi secundum corpus non gignant, dicuntur parentes et ge- nitores totius hominis, nisi quia vi generationis producant corpus, cui ex lege naturae debetur anima rationalis.

Iam vero affirmabunt ne isti catholici defensores theoriae darwi- nianae quod narrationi mosaicae non repugnat sententia asserens ho- minem primum habuisse parentes? Si parentes habuit, 1) productio eius dicenda est fuisse decreta cum animalia producta sunt, ex qui- bus erat tandem naturali lege exstiturus homo: atqui decretum productionis hominis distinctum prorsus a praecedenti decreto pro- ductionis animalium exhibet Moyses I, 26: ergo. 2). Si parentes habuit Adamus, falsum fuit quod inter animalia non inveniretur adiutor similis eius; sicut enim ipse vir ex animalibus ortus est, ita et femina ex iisdem oriri potuit imo debuit. Itaque satis aperte re- pugnat haec opinio mosaicae narrationi.

VI. Si autem Patres consulamus, tenendum est unanimum esse eorum consensum in interpretatione mosaicae narrationis, ut immediata origo hominis per actionem Dei formativam significetur. Sane nec ullus Patrum afferri potest, qui aliqua ex parte praclusit opinioni darwinianae: sensusque universus christianorum hac in re satis evi- dens est argumentum eius, quod Patres universi tradiderunt. Et re quidem vera, ut de hoc Christianorum sensu aliquid dicamus, si darwiniana origo corporis humani presse accipiatur, quis christianus notitias fidei imbutus non exhorreat audiens Adamum habuisse pa- rentes, stirpemque esse belluarum, totumque humanum genus ori- ginem suam debere brutis? Rursus vel anima rationalis infusa est a Deo foetui concepto in utero belluae adeo fortunatae matris, vel corpori iam viventis seorsim a matre, exinde extrusa anima belluina. Si primum: nonne a sensu christiano abhorret primos educatores et atores hominis fuisse bruti; quod tamen in ea hypothesi conti- gisset? si alterum: an huiusmodi est christianus conceptus divina

sapientiae, ut putetur Deus, non secus ac poetae gentiles fabulabantur, bruta in homines transformare?

Quod si latius accipias darwinianam originem humani corporis tantumque neges immediatam eius formationem ex pulvere, quae sit absque successiva inductione praecedentium formarum per actionem naturae se paulatim transformantis, id rursus a sensu christiani populi abhorret et a Patribus universim rejicitur. Credit enim quisquis christianus esse id quod obvius sensus narrationis mosaicae praefert, hominem immediate e pulvere a Deo solo absque intervenitu operationis naturae conditum fuisse, idque devote recolit, cum in die cinerum cineribus frons eius adspergitur repetitis verbis creatoris. Audiantur praecipui ex Patribus, qui data opera hexaemeron sunt interpretati, aut hominis creationem enarrarunt. Irenaeus enim L. V. c. 3. « Sumpsit Deus limum de terra, et formavit hominem. Et quidem multo difficilior est et incredibilior ex non existentibus ossibus nervis, et venis et reliqua dispositione, quae est secundum hominem, facere ad hoc ut sit, et quidem animalem et rationalem facere hominem, quam quod factum est et deinceps in terram est resolutum, rursus redintegrare ». Gregorius Nyssenus (De Hominis Opificio c. 28) corpus hominis formatum, praecisione factae ab anima rationali, vocat luteum figmentum. Chrysostomus hom. XII. in Genes. n. 5. « Ille formatus et de pulvere susceptus, inspiratus spiraculo vitae factus est in animam viventem... Cogita, obsecro, formationis ordinem, et expende tecum quis esset ille antequam inspiraretur a Domino spiraculum vitae, et feret in animam viventem: inaninis nempe imago, operatione carens, et ad nihil utilis ». Augustinus (De Genesi cont. Manichaeos L. II, c. 7.) « Illi inimici veterum librorum omnia carnaliter intuentes, et propterea semper errantes, etiam hoc reprehendere mordaciter solent quod de limo Deus hominem finxit. Dicunt enim: quare de limo fecit Deus hominem? an defuerat ei melior et caelestis materia unde hominem faceret? Cuius rei Augustinus rationem reddit, illud tamen ponens quod et adversarii supponebant, hominem ex limo non ex alia nobiliore materia proxime formatum esse. Damascenus (De fide L. II, c. 12.) « Sic Deus hominem manibus suis condidit, ut corpus e terra effingeret, animam autem ratione et intelligentia praeditam per insufflationem ei tribueret, id quod divinam imaginem appellamus: atque ita ceteri.

Reliquum est ergo ut fateamur immediatam hominis productionem in narratione mosaica secundum sensum christianum intellecta contineri; eidemque narrationi per se spectatae adversari doctrinam, quae asserat originem humani corporis per transformationem specierum proprie acceptam.

Thesis XXVI.

Doctrina est revelata naturam humanam absolute synthesi duplicis elementi, corporis scilicet et animae rationalis: quae synthesi substantialis est. Quare rejicienda est trichotomia veterum et recentiorum: ique etiam rejiciendi qui non quantum satis est duas substantias partiales in homine distinguunt.

I. Omissis materialistis, quos supponimus in Philosophia refutatos, qui vim cogitandi corpori organico asserentes uno tantum elemento h. e. corpore hominem constare volunt, alii peccantes per excessum ex triplici elemento hominem constituerunt; quorum proinde systema dictum est *τριχotomy*. Haec porro duplex distinguenda. Est enim primo trichotomia manichaea, quae in falsa doctrina de origine mali fundamentum habet. Statuit enim duplicem animam rationalem alteram bonam, alteram malam haberi a quolibet homine, ex quibus cum corpore triplex hominis elementum existit. Cf. August. de duabus animabus c. 12. *Retract. L. I, c. 43, De vera Religione c. 9.* Altera est trichotomia Apolinarii, quae tria distinguit in homine corpus, animam, mentem seu spiritum. Vult scilicet principium vitae animalis, quod vivificat corpus et proinde appellatur anima, aliud esse a spiritu qui intelligit et vult. Haec doctrina proscripta est sollemniter in concilio oecumenico VIII. Hanc sententiam in Occidente instauravit Averroes, quatenus principium intellectivum, quod volebat esse quemdam intellectum universalem, distinxit ab anima sensitiva, quam solam dicebat esse formam corporis humani. Sententiam Apolinarii amplexi sunt quidam seculo XIII, quos Stephanus Parisiensis reprobat et postea Viennensis oecumenica Synodus. Iisdem accessit Ockam qui Canonem Conc. VIII proscrinentem sententiam de duplici anima ita interpretandum censuit, ac si in illo trichotomia manichaea tantum fuisset rejicta. Trichotomiae Apolinarii affinis est trichotomia recentiorum. Doctor enim Günther docebat quidem hominem ex duplici tantum elemento constare, corpore et spiritu, at simul docebat vitam corporis eamque animalem non esse a spiritali, sed principium huius vitae proprium esse corporis, imo realiter ab eo non distingui. Censebat enim Günther omne ens destinatum esse ad obtinendam cognitionem et conscientiam sui, naturam (h. e. universum mundum corporeum) nam esse reapse substantiam, quae se in partes dividit ut individuationem obtineat et se progressu quodam explicans et perficiens cognitionem et conscientiam sui tandem assequatur. Ultimus autem gradus cognitionis, quem natura as-

sequitur, est imaginatio quae generales facit imagines perceptas sensibus, atque in hac generalizatione imaginum manifestatur character proprius conscientiae, quam natura obtinere potest (cf. I. Klentgen Philosophia Scholastica, Tom. III. Diss. VII. §. 3. n. 604 seq.). Idcirco natura omnis viva est, et quia ipsa est natura quae per se tendit ad notitiam sui, principium vitae huius non est realititer a natura distinctum. Perfectior autem est cognitio et conscientia sui, quam possidet spiritus. Quoniam vero natura sentiens et spiritus sub eodem genere continentur, entis nimirum viventis et cognoscentis, fieri potest ex illis unio, commerciumque intestinum inter ea existere; et sic existit homo qui est synthesis ex natura et spiritu (cf. ibid.) In hac ergo sententia, si eius auctores audis, habetur dichotomia; at 1. asseritur vitam animalem non esse a spiritu, quae est propria doctrina Apollinarii: 2. quoniam demonstrari potest quod principium vitae animalis non est identicum corpori, ratione habitae eorum, quae legitima ratiocinatione colligi possunt ex doctrina quae negat vitam animalem in homine esse ab spiritu, sequitur reapse hanc sententiam ad trichotomiam redire. Quocirca dixit ss. Pius IX laedi hac sententia doctrinam Concilii Viennensis, quae statuit ex duobus tantum elementis corpore et anima rationali absolvi hominem.

Doctrina catholica est 1. naturam humanam absolvi duobus elementis, corpore et anima rationali: 2. principium proinde vitae corporis (quae prout est formaliter in corpore est ipsa vita vegetativa differens secundum plura et perfectior vita vegetativa plantarum, eoque ordinata ut corpus sit instrumentum idoneum vitae animalis seu sensitivae, unde et ipsa vita corporis animantis dicitur animalis) principium inquam (1) formale esse spiritum, qui idcirco appellatur anima: 3. unionem utriusque elementi esse substantialem.

Haec primum probanda erunt. Postea cum aliis breviter congregandum erit, qui non satis distinguunt duas substantias partiales hominis. Quoad demonstrationem eorum quae primo loco proposuimus monemus 1. quod quoniam argumenta plura quae ex revelatione allati sumus, cum unum probant ex illis capitibus, et alterum quoque demonstrent, ideo non putamus esse singulas eas partes seorsim demonstrandas, sed argumentis quibusdam ex ordine productis, quae ex his consequentur statim colligemus: monemus 2. quod principia quaedam philosophica, quae praesertim spectant ad unitatem substantialem, ex philosophia supponemus; cuiusmodi sunt istae substantiae quae ita uniantur ut unum constituent subiectum unamque naturam, uniantur substantialiter; ex principio vitae et cor-

(1) Non perinde est dicere *formaliter*, et *totaliter*: forma enim est pars, potior quidem, naturae, non tota natura.

pore vivificato fit una natura: quae in philosophia probantur. De Trichotomia manichaea non est hic seorsim disputandum, quoniam ea spectat proprie ad aliam questionem.

II. Itaque pro defensione catholici dogmatis superius propositi haec primo producimus ex Scripturis. 1). Scriptura tribuit homini tanquam uni subiecto ea quae propria sunt corporis et quae propria sunt spiritus. Res haec est frequentissima in Scriptura. Satis est haec notare: idem, qui dicitur nasci, mori et resurgere, videre, audire, desideris carnis flagrare, et huiusmodi, dicitur quoque intelligere, credere, Deum amare et colere, et similia. Atqui priora sunt corporis, utique animalis, quatenus per ipsum solum exerceri possunt ab aliquo vivente, altera sunt propria spiritus: ergo corpus et spiritus spectant ad hominem; quia vero fidem est qui haec omnia exercet, ergo ita corpus et spiritus coalescent ut unum principium, unum suppositum constituent: ideoque et unam naturam. Finita enim cum invicem coalescent in unum suppositum, periciuntur mutuo; et fit nova natura, si saltem, partes quae uniantur in unum suppositum, sint substantiae. Unio porro corporis et spiritus in unum suppositum, unamque naturam est synthesis substantialis. Ergo.

2) Gen. II, 7. Formavit Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem **וַיִּהְיֶה הָאָדָם לְנֶפֶשׁ חַיָּה** est primum *halitus*, quod est signum vitae, tum principium eius, hoc est *anima*, tum etiam *vita*. **נֶפֶשׁ** etiam est concrete *animans* seu *animal*. Ios. X. 28. 30. 32. 35. 37. Gen. I, 21. 24; IX. 10. 12. 15; II. 19; pleniusque dicitur **נֶפֶשׁ חַיָּה** ut ex locis citatis I. et II. Genesis liquet. Superiora ergo verba citata ex Gen. II. 7 hunc sensum fundunt: factus est homo in animal vivens, sive factus est ut esset animal vivens; ideoque factus est sive fuit homo animal vivum: perinde est enim ac si dictum esset sine lamed: **וַיִּהְיֶה חַיָּה** animal vivum. Haec autem propositio est synthesis praecedentis analyticae descriptionis: Formavit Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae: ubi duo elementa seorsim enumerantur. Quare subiectum propositionis *homo* (*factus est homo in animam viventem*) illud idem repraesentat quod praedicatum *animal vivens*, sed alio modo; subiectum nempe confuse, praedicatum distincte declarant synthetice indolem rei factae. Ex quo etiam intelligitur verborum praecedentium hunc sensum esse: Fecit Deus hominem formando seu efficiendo pulverem in corpus, et inspirando ei spiraculum vitae.

Sive spiraculum accipias pro halitu vitali, qui actus est vitae, et

effectus ac signum existentis et informantis animae, sive accipias pro ipsa anima, perinde est.

Habes hic duo elementa enumerata, limbum terra formatum, h. e. corpus, et animam: his duobus copulatis dicitur esse homo: homo autem dicitur esse animans vivens. Quaeritur autem qualis est haec anima. Certum est primo esse animam quae vitam del corpori eamque vitam quam vegetativam diximus ad vitam animalis ordinatam. Nam halitus vitae proprius est actus vitae huius vegetativae, anima proinde quae hac formula repraesentatur ut sit principium halitus vitae, inspiratum in faciem (heb. in nares), exhibetur formaliter ut principium talis vitae corporis. Verum etsi certe sit talis functio huius spiraculi vitae sive animae, quaestio adhuc restat: qualis secundum suam essentiam sit haec anima, an scilicet natura eius definiatur hac potestate vivificandi corpus, an sit reapse spiritus, qui ea quoque potestate gaudet vivificandi corpus. Adverte igitur quod anima vel נפש est res relativa, refertur enim ad id quod ipsa vivificat; est enim principium vitae non sibi sed alteri, nempe corpori. Iam vero principium vitae in corpore potest esse vel ens simplex tantum capax vitae sensitivae (hanc vitam ex se corpus habere non posse supponimus ex Philosophia), vel spiritus intelligens, quod sit quidem intelligens simul et sentiens: quod et ipsum נפש appellatur (Psal. LXXXV, 4. - CIII, 1. - CXLII, 8. - CXXXVIII, 14; Gen. XXIII, 8; 1. Reg. XX, 4; 1. Paral. XXVIII, 9; Prov. XIX, 2). Atqui ex contextu manifestum est 1) in hac data opera instituta descriptione duo tantum elementa recenseri, corpus et animam, isque positus dici immediate quod factus sit homo; quod profecto falsum esset nisi spiritus simul seu ratio comprehenderetur, quae sine dubio spectat ad hominem. Manifestum est 2) huius spiritum sive mentem designari; nam homo factus in animam viventem est homo factus ad imaginem et similitudinem Dei, est homo qui praestet et dominatur omnibus animalibus Gen. 1. 27. 28; talis porro est homo per mentem. Cum autem duplex tantum memoretur elementum hominis, et spiritus sit pars hominis, isque aptus sit esse principium vitae, (1) ergo id quod inspiratum est corpori tanquam spiraculum

(1) Perperam quis negaret spiritum esse posse principium vitae corporis eo quod nequeat formare sibi corpus; negaret item quis negaret factum, spiritum nempe esse principium vitae corporis eo quod non sibi formaverit corpus, quod quidem ex eo colligeret quia huius operationis spiritus conscientiam nullam habet. Nam, ceteris omissis, quae confer, sis, penes probatos Philosophos, haec ipsa verba Genesis ostendunt quod ut aliquid sit principium vitae corporis, opus non est ut ipsum sibi formaverit corpus. Et enim spiraculum vitae sive anima

vel principium vitae, est mens intelligens; quae quidem est anima quia corpus vivificat. Ex his porro colligimus: ergo corpus et spiritus in homine substantialiter uniantur: nam unio principii vivificantis ac subiecti vivificati est substantialis; fit enim una natura unumque subiectum, quemadmodum ex Philosophia supponimus. Ergo mens seu spiritus est pars essentialis hominis: ergo spiritus hominis est per se principium vitae corporis; est enim anima.

Verborum Genesis quaedam anacephaleosis haberi potest id quod Ecclesiastes ait XII, 7. Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Spiritus enim datus a Deo est spiraculum vitae: spiritus vero qui ad Deum redit, est spiritus immortalis, intelligens, ideoque anima rationalis.

3) Aliis in locis Scriptura ita hominem exhibet, ut non nisi duo elementa eius commemoret corpus et spiritum, et quantum satis est significet illis duobus in unitatem naturae coniunctis totum hominem absolvi. Sane spectetur id quod in Ezechielis XXXVII, 3-10 visione tanquam terminus similitudinis assumitur, cuius proinde in ordine reali veritas supponitur. Et dixit (Dominus) ad me: Fili hominis putas ne vivent ossa ista... et dixit ad me: vaticinare de ossibus istis, et dices eis: ossa arida audite verbum Domini. Haec dicit Dominus Deus ossibus his: ecce ego intromittam in vos spiritum et vivetis. Et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et super extendam in vobis cutem, et dabo vobis spiritum, et vivetis, et sciatis quia ego Dominus... Et propheta sicut praeceperat mihi, et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt. Et dixit ad me: Fili hominis ossa haec universa domus Israel est. Habes ossa, nervos, carnem et cutem, h. e. corpus, et spiritum, spiritum intelligentem qui Dominum scit; his duobus coniunctis vitam ossium; carnis etc. existere, vitam proinde horum a spiritu procedere: uniri autem ea in unitatem naturae; quae est natura humana; habes idcirco his duobus elementis absolvi humanam naturam; nam vita os-

inspirata corpori est certe principium vitae corporis; atqui huius animae non tribuitur formatio corporis, sed imo e contrario dicitur crinus formatum et Deo corpus, et postea formato corpori infusa anima. Certum non est necesse definire qualis praecesserit formatio corporis a Deo procedens, certa sunt autem haec duo: 1. aliquas vires proprias materiae resultantes ex certa combinatione elementorum requiri, ut habeatur vita corporis, quarum deinceps defectus causa est mortis. 2. Existente idonea materia ad constituendum corpus, spiritum illi coniunctum non cognitione (cf. Anthr. Th. X. p. 1) sed vi aliqua plastica tantum indigere ad formationem organismi, quae vis ipsi non repugnat,

sium, carnis etc. est a spiritu; nullus igitur relinquatur locus alteri principio vitae.

Matth. X, 28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timeite eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Anima, quam Deus solus potest perdere, est id quod a corpore non pendet, quod immortale est, nempe spiritus intelligens. « Si carnalis est anima, ut vestra fert opinio (Apolinaristarum), cur non una cum corpore moritur et perit? » ait Athanasius in hunc textum, L. II. contra Apolinarium. Indicatur ergo duo elementa corpus et spiritus, spiritus vero dicitur anima, h. e. principium vitae, ergo non alia est in homine anima; ergo duobus elementis totus homo absolvitur. His Christi verbis non adversatur quod ait Ecclesiastes III, 21. *Quis scit si spiritus filiorum Adae ascendat sursum, et si spiritus iumentorum descendat deorsum?* Nam ut monet Hieronymus Comm. in Eccles. ad h. l. non inter pecudes et hominem secundum animae dignitatem nihil interesse contendit, sed adiciendo *quis* difficultatem rei (cognoscendae) voluit demonstrare. Pronomen enim *quis* in Scripturis sanctis non pro impossibili sed pro difficili ponitur. Ceterum lege textum hebraicum; cuius probabiliter hic est sensus: *quis vidit spiritum hominis qui ascendit sursum, et spiritum iumentorum qui descendit deorsum?*

III. Traditio Catholica eandem doctrinam apertissime praedicavit. Et quidem doctrina Patrum manifestissime se prodit in controversia cum Apolinaristis. Hi, teste Augustino Lib. De haeres. n. 53. « de anima Christi a catholica dissentierunt, dicentes sicut ariani Deum Christum carnem sumpsisse sine anima. In quaestione testimoniis evangelicis victi, mentem, qua rationalis est anima hominis, non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt. » « Apolinarius, ait Theodoretus (haeret. fabul. L. IV, c. 8) Incarnatum Deum Verbum dixit corpore assumpto et anima, non rationali, sed experte rationis, quam *φωτιστην* aut *ζωτικην* quidam vocant. Mentem aliud esse statuens ac animam, eam minime assumptam fuisse ait, sed divinam suffecisse naturam ad usum mentis explendum. » Cf. Epiphanium adv. haereses haer. LXXVII. et Marium Mercatorem in appendice ad contradictionem anathematismi 12. Nestorij n. 24.

Iam vero a) Patres docent mentem esse partem essentialem hominis. Nam affirmant Verbum assumpsisse humanam naturam perfectam, ut salvaret omne quod perierat; et ex hoc principio colligunt fieri non potuisse ut non assumeret quoque animam rationalem, mentem, sine qua totus homo salvatus non fuisset. Perfectio

scilicet naturae, de qua loquuntur Patres, est perfectio secundum essentiam, qua totus habetur homo. Ergo iuxta Patres mens est pars essentialis humanae naturae. Ita in Epistola Synodica Patres Concilii Constantinop. ad Damasum, Ambrosium etc. relata a Theodoro hist. Eccl. L. V. c. 9. « Incarnationis quoque doctrinam incorruptam servamus, neque animae neque mentis expertem, ut imperfectam carnis dispensationem suscipientes; sed totum scientes perfectum ante secula Dei Verbum, perfectum in novissimis diebus, salutis nostrae gratia hominem factum. » Quibus Damasus respondens ait « Scitote igitur nos profanum Timotheum Apollinaris haereticus discipulum una cum impio eius dogmate condemnasse... Christus enim Filius Dei D. N. generi humano plenissimam salutem passione sua contulit, ut totum hominem peccatis implicatum ab omni peccato liberaret. Hunc si quis imperfectum vel humanitatis vel divinitatis habuisse dixerit, is spiritu diabolico plenus gehennae filium se esse demonstrat. » Ante ipsum Athanasius L. I. De Incarnat. cont. Apolinarium, n. 19. « Vanum est vestrum sophisma; nam quomodo mors advenisset, nisi et interiori et exteriori hominem Verbum in se constituisset, idest corpus et animam. Quomodo pro toto homine redemptionis pretium dederit aut quomodo mortis imperium plene abrogatum fuerit, si illud, quod per intelligentiam peccarat, animam nempe, Christus in se impeccabilem non constituisset? » Cf. Auctorem Orationis (inter opera Chrysostomi) in verba Pauli: non quod volo facio etc. Pars est ergo mens humanae naturae iuxta Patres. Quare communis est inter Patres definitio hominis: animal rationale *ζωον λογικον, ζων νερον*. Cf. pseudo-Athanasium de communi essentia n. 53. Cyrillum in Ioan. L. I. c. 1. v. 13. August. De Quantitate animae c. 25. Et haec quidem valent contra trichomitae scholasticae aetatis, qui negantes principium intellectivum esse formam corporis illud ab essentia hominis alienum faciebant.

b) Patres referunt inter errores Apollinarii quod tres sint distinctae partes humanae naturae, corpus, anima, mens. Nemesius de Natura hominis ita exorditur. « Hominem ex animo intelligente, et corpore optime constructum esse, atque ita quidem recte ut aliter fieri ac cohaerere non possit, multi ique boni viri existimarunt. Sed cum hoc habeat controversiam quod intelligens animus dicitur, utrum intelligendi vis ad animum, velut dispar quaedam natura ad dispari naturam accedens, intelligentem eum efficiat, an intelligentiam a se ipso, ac suapte natura habeat, atque ut oculus corporis ita haec eius pars pulcherrima sit; alique, in quibus est Plotinus, aliam esse animam *ψυχην*, aliam mentem *νοον* statuentes, ex tribus hominem constare volunt, corpore, *ψυχη*, καὶ *νοῦ*. Quos etiam Apolinarius

secutus est Laodiceae Episcopus, nam hoc opinionis suae iacto fundamento, reliqua suo dogmati accomodata superstruxit. » Athanasius lib. cit. n. 14: « Qui de hominis inobedientia quaestionem habuit, iudicium dedit quo duplicem poenae sententiam protulit: tereno corpori dicens: Terra es et in terram revertaris, atque ita, Domino sententiam ferente, corruptio corpus excipit; animae autem: morte morieris; et sic in duas dividitur partes homo, damnatus ad duo secedere loca... quod si mihi alium damnationis locum praeter haec duo indicare valeatis, merito dixeritis in tres partes dividi hominem, et ex duobus quidem locis revocationem factam esse: in tertio vero tertiam partem manere vinculis colligatam. Si vero nulum alium locum ostendere potestis praeter sepulcrum et infernum, ex quibus homo perfecte erectus sit (Christo per suam perfectam et verissimam formam nos liberante), cur adhuc talia profertis, quasi Deus humano generi nondum reconciliatus sit? » Gennadius Massiliensis De Ecclesiast. Dogm. c. 45: « Non duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Iacobus, et alii Syrorum dicunt, unam animalem qua animatur corpus, et immixta sit sanguini, et alteram spirituales, quae rationem ministret, sed dicimus unam eandemque esse animam in homine, quae et corpus sua societate vivificet, et semetipsam sua ratione disponat. » Nysseus in Antirrhethico contra Apollinarianum n. 8. refert « tripartitam hominis divisionem ab Apollinario excogitatam » atque « id unum quae in verbosa Apollinarii scriptione sequuntur demonstrare, ex tribus videlicet rebus constare hominem, carne, anima atque mente, » subdit vero; « quae quidem a nostra sententia minime distant? At quomodo? » Ex corpore namque et anima intellecta praedita compositum hominem dicere idem est ac separatam mentem per se solam numerando, tripliciter quae in homine sunt *consideratione* (est scilicet opus considerationis τῆς ἐπινοίας) dividere; tamen multas haec loquendi ratio (divisio haec scilicet ad rationem loquendi ideoque et cogitandi spectat) ansas errandi praebuerit haereticis (qui nempe realiter tria distinguebant). Si enim partem rationalem per se solam quis enumeraverit, aliam irascibilis partem a ceteris segregatam asserere poterit, et concupiscibilis rursus aliam; et fortasse non nemo reliquos etiam animi motus *ratione dinumerans*, hominem non tribus sed quodammodo longe pluribus partibus compositum, et in multas pariter partes dissectum ostenderit. » Nimirum distinctio animae et mentis est secundum considerationem rationis quemadmodum concupiscibilis et irascibilis reliquorumque animi motuum, quae tamen distinctio, quia secundum eam plura numerantur, occasionem erroris quibusdam praebuit.

c) Patres mentem hominis negant esse rem per se subsistentem, hypostasim, sed facultatem hypostasis esse volunt. Liqueat ex disputatione quam a se aliisque catholicis habitam contra Vitalem Episcopum testatur Epiphanius l. c. n. 23. « Vitalis humanam a Christo animam sumptam esse confessus est... Tum demum istud ab eo quaesivimus, mentem ne Christus Dominus accepit? sine ulla cunctatione negavit. Tum nos ex adverso: quinam igitur perfectum illum hominem esse censes? Ad haec ille: eatenus perfectum hominem fuisse dicimus, si loco mentis divinitatem illi adscribamus, et carnem atque animam adiungamus... Contra quae illud obiciebamus: quid tandem putatis esse mentem? an hypostasim esse quamdam in homine creditis? Multiplex est ergo homo... Si mens non hypostasis est, sed totius hypostasis nostrae quaedam motio, cum Christum mentem esse velitis, eundem minime subsistentem fingitis, ac specie tenus Incarnationis negotium obisse. » Ergo una est non duplex anima... Tum n. 34. ait: « Ego mentem nostram hypostasim esse non arbitror, nec ex Ecclesiae filius alius quisquam, sed efficientiam quamdam. » Itaque ex his duobus doctrinae capitibus patet non ex tribus sed ex duobus elementis constare hominem.

d) Principium cogitandi sive mentem et spiritum Patres vocant *animam*. Porro *anima* relative dicitur, nimirum ad corpus quod vivificat. Qui ergo *animam rationalem* dicit, duo significat, h. e. spiritum intelligentem et principium vitae in corpore. « Corpus animatum, ait Athanasius lib. c. n. 20, dicitur in quantum nomen animae per modum subsistentis in illo exprimitur. Corpus autem hominis corpus dicitur et non anima: et anima hominis anima dicitur et non corpus; *alterum ad alterum, id est spiritus ad corpus*. » Sane anima est iuxta Nysseum De Anima et resurrectione *ὄψια γεννητη, οὐσια ζωσα, σωματι ὀργανικω και αισθητικω δυναμιν ζωτικη και των αισθητων αντιληπτικη δι εαυτης εννοουσα*. Iuxta Damascenum L. XII. c. 12. *ψυχη εστιν οὐσια ζωσα, ἀπλη και ἀσωματος... ὀργανικω χειρημενη σωματι, και τουτω ζωης, αὐξησεως τε και αισθησεως παρεκτικη*. Nimirum anima est substantia vivificans, corpori organico conferens vitam et sensum per se ipsam. Quae est definitio Aristotelis 2. De Anima ἐντελεχεια πρώτη σωματος φυσικου ὀργανικου δυναμει ζωην ἔχοντος, quae notissima est. « Anima ex eo vocatur, ait Gennadius De Eccl. Dogm., quod ad vivendum vel vivificandum animet corpus. » Qui igitur principium cogitans sive mentem in homine vocat animam, hic tum docet mentem ad essentiam hominis spectare, tum aliud

principium vivificans corpus quod sit aliud a mente esse exclusum, tum unionem substantialem ex corpore et mente fieri; fit enim una natura. Atqui nihil est manifestius quam a Patribus vocari animam, animam hominis id quod est in nobis cogitandi principium. Huc faciunt testimonia iam allata, et ea quae animam *rationalem* appellant; qua formula significatur rationem esse proprietatem principii vivificantis corpus, et mentem rationalem esse principium vivificans corpus. Horum testimoniorum duo maxime auctoritatis recitare sufficiat, nempe Symboli Athanasii: « Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus; atque Synodi VI. » Assecuti sancta quinque universalia concilia, et sanctos atque probabiles Patres, consonanterque confiteri definites Dominum nostrum Iesum Christum... Deum vere et hominem vere, eundem ex anima rationali et corpore... consubstantialem nobis secundum humanitatem. » Idem constat ex doctrina PP. docentium Verbum assumpsisse carnem mediante anima rationali, sive mediante mente. Nazianzenus Orat. 1. « Deus carni, intervenit *animae*, copulatus est, et quae a se mutuo distabant per interpositae rei cum utraque affinitatem et cognitionem copulatae sunt. » Orat. autem 35. « Deitate idcirco contemnis quia crassitiam tuam suscepit, per intermediam *mentem* carni coniunctus. » August. De Civit. Dei L. X, c. 29. « Quid vobis (platonici) incredibile dicitur, cum Deus dicitur assumpsisse humanam animam et corpus? vos certe tantum tribuitis animae intellectuali, quae anima utique humana est, ut eam consubstantialem paternae illi menti, quem Dei Filium confitemini, dicatis. Quid ergo incredibile est, si aliqua una intellectualis anima modo quodam ineffabili et singulari pro multorum salute suscepta est? corpus vero animae cohaerere, ut homo totus et plenus sit, natura nostra ipsa teste cognoscimus. Quod nisi usitatissimum esset, hoc profecto esset incredibilis. Facilius quippe in Fidem recipiendum est, etsi humanum divino, etsi mutabile immutabili, tamen spiritum spiritui,... quam corpus incorporeo cohaerere. » Caro autem quae assumpta est mediante mente, est caro animata ab ipsa mente: quod hac ipsa formula significatur. Assumpta est scilicet caro quae caro esset animae rationalis; caro porro animae ea est quae ab anima vivificatur. Invenit tandem conferre sententiam Nysseni. De hominis officio c. 13. « Quidquid in rerum natura perfecte existit, si quidem est id quod esse debet, recte etiam ac proprie nomen suum obtinet, quo nempe appellatur. Sin aliquid non prorsus et integre est id quod esse dicitur, huic improprie nomen ipsum tribuitur... quamobrem cum ea demum perfecta sit anima, quae praedita est vi intelligentiae et rationis: quidquid tale non est, ei cum anima quidem nomen

esse commune potest, reapse vero non anima, sed vivendi facultas quaedam erit. » Ergo non est aliud principium vitae corporis praeter animam rationalem.

e) Patres ne dum implicite, ut modo vidimus, sed et explicite docent ex anima rationali et corpore fieri unum, unam naturam, ac per hanc unionem explicant unionem Verbi cum humanitate. Sane pseudo-Nysseus Orat. in eo quid sit ad imaginem et similitudinem (Oper. Nysseni Tom. 1. Migne): « Homo est mixtus quidam mundus ex duobus mundis cognatus ex incorporea et immortalis et incorruptibili anima atque ex materiali ac visibili corpore. » Vincentius Lirinensis Com. c. 12. « Apollinaris in Domini incarnationis aperta professione blasphematur. Dicit enim in ipsa Salvatoris nostri carne aut animam humanam penitus non fuisse, aut certe talem fuisse, cui mens et ratio non esset. » Tum explicans c. 13. doctrinam catholicam ait « In homine aliud caro, aliud anima, sed *unus idemque homo* anima et caro. » Nemesius de Natura hominis c. 3. improbat sententiam Platonis « qui non vult animal ζῷον constare ex anima et corpore, sed ipsum esse animam, quae corpore utatur et velut corpore vestita sit... » Quomodo enim unum esse potest cum vestitu anima? non enim unum est confiteri cum eo quod tunica est: indutum. » Cyrillus Alexand. in Dialogo Quod unus sit Christus: « quomodo ex duobus, divinitate nimirum et humanitate, unus censeatur Christus? Non alio modo censerim, quam quo duae res inter se coeunt unione inseparabili atque intellectu superante. Exempli gratia: nonne unum dicimus hominem, atque unam ipsius naturam, etsi uniformis et simplex non sit, sed potius ex duobus compositus, anima inquam et corpore? » Ita pseudo-Athanasius De Incarnat. Verbi. « Homo una persona et unum animal est, ex spiritu et carne compositum: ad cuius similitudinem intelligendum est Christum unam esse personam et non duas. » Confer et testimonium allatum ex symbolo Athanasiano. Iam vero advertit quod hoc exemplum catholicis commune erat ad explicandam unitatem substantialem Christi. Sane penes Leontium Byzantinum (cont. Nestor. et Euthych. L. I.) id Catholicis generatim exprobat Nestorianus: « quomodo compositionem hominis tanquam similem in Verbo et incarnatione accipitis nihil simile habentem? » Respondet vero Leontius: « quod non sit nostrum inventum hoc, sed a maioribus, ut in proverbio est, filius a patre accepimus, testantur scripta theologorum, in quibus hoc exemplo hominis ex anima et corpore compositi, in unione sunt usi. » Advertit vero idem Leontius, quod « non recte faciunt qui vim adhibent, ut sic se habeat exemplum sicut prototypum. Non enim iam esset exemplum, si non haberet aliquid dissimile. » Declarans vero

id in quo utrumque convenit, exemplum et prototypum, ait: « Utrumque enim dictorum servat integre suam proprietatem, sicut utriusque natura postulat: homo scilicet communis ex anima et corpore constans, et Salvator in divinitate et humanitate subsistens.... Quod autem neque homo ex imperfectis partibus compositus sit secundum rationem cuiusdam essentiae alterutris partis, quamvis quoad definitionem totius hominis non recipiant partes rationem totius tanquam totius, sic intelliges. Quid enim deest animae habenti separatam et propriam vitam, ad hoc ut substantia sit incorporea, semper mobilis? hoc enim declarat immortalem eam esse, et interire non posse. Quid rursus deest corpori ut sit corpus? quod quidem qui definiunt aiunt esse corpus triplici dimensione, aut corpus naturale organicum potentia vitam habens: utraque enim definitio apte convenit corpori nostro. Non sunt ergo imperfecta sumpta per se, tametsi imperfecta dicantur quoad hypostasim totius, in quo sunt partes ». Post plura deinceps cum adverterit quod « quae substantialiter sunt, et secundum substantiam uniuertum, partim etiam in unione servant propriam rationem essentiae (cuius exemplum esse ait hominem), partim confundunt etc. » non multo post concludit: « reliquum est ut ex investigatione quaestionis unionis secundum substantiam, proprietatem quoque divinitatis sine confusione secundum exempla superiora intelligamus, colligentes ex omnibus tenentem quandam imaginem veritatis omnia superantis, quae demonstrat unum quoddam ex his reddi, sive personam sive hypostasim, sive atomum, sive subiectam, sive quid aliud appellare libet, non contendo ». Exemplum ergo unitatis hominis eo spectat, ut sicut unio est substantialis animae et corporis, unumque fit ex duobus servantibus utrisque suam propriam essentiam, ita substantialis est unio Verbi Dei cum humana natura, unaque est persona in duobus perfectis naturis subsistens.

Nec his adversatur qui cum Ambrosio Hexaem. L. VI. c. 7. inquit « Aliud sumus nos, aliud sunt nostra: nos sumus anima et mens, nostra sunt corporis membra ». Idem habet Nyssenus Or. 1. in verba Facimus hominem etc. ac pseudo-Basilis Orat. 1. De hominis structura. Spectant enim Patres sic loquentes id quod praecipuum est et specifiem in homine, quod habet, non habetur, quodque sensu Christiano homo interior dicitur. Imo talis est unio inter corpus et animam rationalem, ut a Damasceno L. III, c. 2. caro quam Verbum assumpsit, dicitur « Dei Verbi animata caro rationalis et intellectiva », eademque locutio comparat penes Sophronium hierosolym. Orat. in Deiparae Annuntiat. n. 46. Athanasius haec habet adv. Apolin. L. II, c. 4. « Forma servi, humanae substantiae intelligens natura, cum organica compositione agnoscitur; ut illa quidem di-

ctione erat (Ioan. c. 4.) Verbum intelligeretur, illa autem factum est (Ioan. 1. 15) caro cum anima agnosceretur, quae forma servi dicitur, ac intellectualis quaedam substantia esse intelligitur. Hinc fit ut homo mortuus informis dicitur, et recedente a corpore anima, quae indissolubilem naturam habet, totus solvatur. Unde Paulus (Philipp. II, 7.) quidem de intellectuali natura testimonium perhibet, Ioannes vero de organica corporis ostensione, ut ambo totum Incarnationis mysterium praedicent ». Liqueat Athanasium nomen *formae* accipere sensu peripatetico, secundum quem anima dicitur *forma* corporis; atque ideo significare unionem inter animam et corpus eam esse quae intercedit materiam inter et formam, hoc est unionem eam esse quam nos dicimus substantialem. Ex his porro consequitur mentem seu spiritum esse de essentia hominis, uniusque substantialiter corpori.

f) Patres tandem elementa, quibus homo constat exponentes, duo tantum memorant, *corpus* et *animam*, atque ex his affirmant hominem fieri: quod quidem simpliciter falsum esset, si alterum essentialia elementum desideraretur. Deficiente enim uno essentiali elemento mutatur essentia. Damascenus L. II. c. 12. « Ex visibili et invisibili natura propriis manibus plasmavit Deus hominem ad suam imaginem et similitudinem. Ex terra quidem corpus fingens, animam vero rationalem ac intellectivam propria insufflatione illi elargiens ». Idem in dialectica c. 44. « unaquaque hominum hypostasis ex duabus naturis, h. e. ex anima et corpore conflata est, easque confusionis omnes expertes in se ipsa servat. Cui rei argumento est ea divisio quae morte efficitur ». Augustinus de Civ. Dei L. XIII, c. 24. Homo non est corpus solum, vel anima sola, sed qui ex anima constat et corpore. Cum est utrumque coniunctum simul, habet hominis nomen ». Idem de Morib. Eccl. Cath. c. 27. Homo est anima rationalis mortali atque terreno utens corpore ». Et de Anima et eius origine L. IV. n. 3. « quisquis a natura humana corpus alienare vult, desipit ». Cyrillus l.c. « Nemo duas in partes dividens, ac seorsim ponens animam et corpus, dixerit unquam corpus eodem cum anima appellari nomine ad unum hominem significandum. Sed cum utrumque secundum naturalem unionem coniunxerit ad unius hominis constitutionem, tunc demum hominem appellabit ». Atqui ex hac doctrina constat tum reiiciendum esse aliud tertium elementum praeter corpus et spiritum, tum formale principium vitae corporis esse ab eo distinctum; hoc enim est anima, quae statuitur esse alterum elementum hominis cum corpore.

Ex his omnibus simul collatis, constat in doctrina Patrum post Apolinarii haeresim contineri ea quae probanda assumpsimus. Qua-

re 1) reicienda est doctrina trichotomiae, sive ea quae formaliter in tres partes dividit hominem, corpus nempe animam et spiritum seu mentem: sive ea quae licet duo elementa ponat, principium vitae corporis distinguit a spiritu seu ab anima rationali. Patrum proinde doctrina est dichotomia. Tenendum est 2) unionem principii rationalis cum corpore esse substantialem, mentem esse de essentia hominis, unionemque ipsius cum corpore esse substantialem.

IV. Doctrinam autem, quam Patres post Apolinarii haeresim disertissime propugnarunt, eandem Patres velutiores plus minus distincte tradiderunt. Sane Athenagoras in pulcherrimo opusculo De Resurrectione c. 45. « Hominis natura ex anima immortalis constat et corpore, quod cum animae in creatione coniunctum fuit, neque animae naturae per se, neque naturae corporis seorsim Deus hunc ortum et vitam tribuit, sed hominibus integris, qui istis duobus componerentur: unum ex utroque est animal quod patitur quaecumque anima patitur et corpus ». Exinde demonstrat convenientiam resurrectionis. Clemens Alex. Strom. L. V. enarrans verba Moysi Gen. II. 7. « Merito, ait, ex terra corpus dicit formari Moyses, animam autem ratione praeditam desuper inspiratam fuisse in faciem. Hic enim dicant collocatam principalem animae facultatem, ingressum animae in protoplastum per accessionem sensuum interpretantes, et ideo factum esse hominem ad imaginem et similitudinem Dei ». Idem ibid. L. II. loquens de Isidoro haeretico filio Basilidis, eiusque recensens errores, ait « Is duas in nobis ponit animas sicut Pythagoraei, quas postea considerabimus ». Et rursus L. IV. « Quodnam dicemus esse proprium munus hominis? videtur autem, ut opinor, esse similis centauro, figmento thessalico, ut sit compositus ex parte rationis particeps, et experte rationis, anima et corpore ». Tertullianus De Poenit. c. 3. « Ex hac duplici substantiae (spiritus et corporis) congregatione confectus est homo. » Irenaeus L. V. c. 8. « Substantia nostra, id est animae et carnis adunatio. » Methodius in libro de Resurrectione, penes Photium cod. 234. « Homo secundam naturam dicitur verissime neque anima sine corpore, neque corpus sine anima, sed illud quod ex anima et corpore in unam pulcritudinis formam componitur. » Duo ergo sunt elementa naturae humanae, iisdem absoluitur, unum ex his fit, spiritus vero seu mens est anima; ideoque principium vitae corporis non est idem cum corpore, sed ab eo realiter distinctum: quae est doctrina a nobis haecenus propugnata.

V Hanc doctrinam suffragio suo authentico Concilia oecumenica et Sedes apostolica confirmarunt. Synodus VIII. Act. X. Canone 11

istam doctrinam sancivit his verbis. « Vetere et novo Testamento unam animam rationalem et intellectivam habere hominem docente et omnibus Deiloquis Patribus et Magistris Ecclesiae eandem sententiam asseverantibus, quidam duas animas ipsum habere putant, et quibusdam sophisticis argumentis propriam haeresim confirmant. Itaque sancta haec et universalis Synodus talis impietatis parentes, et eis consentientes anathematizat vehementer. » Quidam recentiores interpretationem Ockami amplexi se ab hac auctoritate expediti dicentes reprobari hoc canone eos qui duas animas rationales ponerent in homine, eo quod in canonicis initio dicitur *una anima rationalis*, cuius antithesis est: *duae animae rationales*. Quocirca reiciunt ut corruptam quandam aliam interpretationem latinam huius canonis, quae ab initio sic se habet: « cum vetus et novum testamentum doceat unicam homini eamque ratione et intelligentia pollentem esse animam etc. (cf. Dr. Knoodt. Günther und. Clemens. epist. 2. Dualismus). Interrogati vero quinam illi essent quos Synodus damnavit, indignant Manichaeos. Verum 1. constat historice ea ipsa aetate Photium redintegrasse haeresim Apolinarii, licet forte non serio atque paucos habuerit sequaces: ipsis autem apprimè congruunt verba Canonis: *quidam putant*. 2. Reprobatio haeresis manichaeae, cuius proprium est principium mali statuere oppositum bono, et ex illo animam malam oppositam bonae, fieri semper in Ecclesia consuevit damnata explicite haec ipsa doctrina de duplici principio altero bono altero malo: e contrario Apolinarii haeresis mentione duplicis animae (altera quidem improprie accepta) bene repraesentatur. 3. Terminò huic complexio: *una anima rationalis* per se spectato non adversatur solum hic alter: *duae animae rationales*, sed hic quoque *duae animae* simpliciter, si in priore terminus *rationalis* accipiat ut appositum determinativum, *una anima quae est rationalis*; ita ut directa intentio loquentis sit significare unicam animam, quae quidem est rationalis: nemo vero negabit posse ita accipi haec verba, sicut accepta sunt in ea versione, quam isti absque ullo argumento dicunt corruptam: sic vero accepta esse ea verba liquet ex sequente oppositione, in qua simpliciter *duarum animarum* fit mentio. 4. Si canon hic cum doctrina a nobis exposita Patrum et Scripturae conferatur, satis, puto, constabit sensum canonis esse ut simpliciter *duae animae* contra haeresim Apolinarii excludantur, licet exinde inferri quoque possit proscriptio erroris manichaei, quatenus non unicam sed duas animas in homine ponit.

Alterà Conciliaris definitio lata est in Concilio Viennensi formulis scholasticis quidem, sed satis claris. Definitum est enim animam rationalem esse per se et essentialiter formam humani corporis; scilicet spiritum esse partem essentialem hominis, partemque formalem,

ipsumque esse animam h. e. principium vitae corporis, et cum eo unam naturam constituere; ex quibus liquet vitam corporis a spiritu pendere tanquam a formali principio, ideoque neque aliam animam esse praeter intellectivam, nec corpus hominis esse ex sese vivens. Cf. quae disputavimus in Institut. Philos. Anthr. Th. XIV. Eadem definitio iterata est in Conc. Lateranensi V.

Pius IX in literis datis 30 April. 1860 ad Episc. Breslav. de doctrina Baltzeri affirmavit «sententiam quae unum in homine ponit vitae principium, animam scilicet rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam, atque doctoribus plerisque et probatissimis quidem maxime cum Ecclesiae dogmate (definito in Conc. Viennensi) ita videri coniunctam, ut huius sit legitima solaque vera interpretatio, nec proinde sine errore in fide possit negari». Docemur ergo quod quaecumque vita et quicumque motus et actus vitalis insit corpori, hi pendent, tanquam a formali principio, ab anima rationali. Non eo ipso tamen docemur quod omnes vires, quae necessariae sunt ad vitam corporis, sint ab anima ita ut haec sit totaliter principium vitae corporis; nam forma non est tota natura, omnis autem natura est vis: vis ergo quaedam propria corporis, subordinata quidem vi animae, concurrat ad vitam animaleam. Sane actus vitae vegetativae actus est subiecti vegetantis, at formaliter solum corpus vegetare potest, augeri enim et crescere ac extranea elementa sibi appropriare non potest nisi id quod extensum est et divisibile. Omnis ergo seu tota vita corporis est ab anima, sed non totaliter: ad illam enim suis propriis viribus concurrat et corpus, quod substantia quaedam est, ideoque vis. Item cum dicitur *omnis motus* esse ab anima, de motu proprio hominis prout est ens vivens intelligendum est; motus enim quidam molecularis, qui remanet quoque in atomis corporis recedente anima, corporis proprius est.

V. Restat ut quibusdam difficultatibus faciamus satis. Volunt adversarii ex Scripturis sententiae Trichotomiae suffragari haec loca: a) Daniel. III, 86; b) 1. Cor. II, 14; c) XV, 45; d) Hebr. IV, 12; e) 1. Cor. XIV, 15; f) 1. Thessal. V, 23. Verum quoad 1) omisso quod ea neque in hebraeo volumine, neque penes septuaginta reperiuntur, recipit enim ea Vulgata versio, negamus ibi significari Spiritum et animam esse duas substantias, quemadmodum neque sancti et humiles corde in com. sequenti sunt alii et alii; sed nihil vetat figuram ibi occurrere *ἐν δια ὄνοισιν*, et significari spirituales animas, ut clarius explicabimus enarrantes doctrinam seu modum loquendi Patrum. Ad 2) Animalis homo confertur cum spirituali, ille nequit percipere divina, hic indicat omnia. Si spiritus est tertia pars naturae hominis, nullus erit homo non spiritualis: ideoque op-

positio non poterit habere locum. Spectantur ergo homines ethice; h. e. non duae substantiae, sed qualitates heic indicantur, quae eidem homini competere possunt. Ad 3) liquet ad rem non esse, secus dicendum foret primum hominem non fuisse nisi brutum. Primus ergo homo factus est animans vivens, at Christus est spiritus vivificans, quia non solum vivit, sed vitam confert: confert autem vitam spiritus, h. e. supernaturalem per gratiam et sanctitatem, quae per se non competit animali viventi, homini, sed gratis datur. Ad 4) Hic Paulus solum exaggerat virtutem Verbi divini (1), quod vel penitissima dirinat, ad hanc porro vim verbi Dei commendandam parum conferat penetratio et divisio eorum quae reapse iam sunt distincta: agitur scilicet de plenissima vi cognoscitiva Verbi Dei, quae quidem proponitur ab Apostolo ut deterreat lectores a lapsu in incredulitatem. Est itaque ea vis Verbi quae abditissima cognoscendo pervadat, ideoque tum quae *λογισμα*, tum quae *πνευματικα* sunt in nobis attingat et discernat: haec autem affectiones animae eiusdem sunt, non duae substantiae. Ad 5) spiritus ibi est spiritus oris, flatus nempe vocis: ait enim v. 14, si ore lingua, spiritus meus orat; mens autem sine fructu est. Quid ergo est? orabo spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam et mente. Ad 6) dicimus duas interpretationes esse probabiles: nam nomine *spiritus* 1) donum supernaturale intelligi potest, quod servandum est in adventu Domini; quod donum sanctificat animam, et corporis quoque munditiam tuetur, quo proinde servato servatur anima et corpus. Pro eo ergo ut diceret Paulus: anima et corpus vestrum sine querela servetur, custoditis donis sanctificantibus, dixit serventur dona sanctificantia, anima et corpus vestrum. Haec interpretatio auctoritate veterum Patrum munitur, ut mox videbimus: tum ei suffragatur quoque ratio loquendi Scripturarum. Nomen enim *πνευμα* spiritus in Scripturis tum flatum ventum significat secundum primitivam vim vocis, tum id quod pertinet ad hominem prout est animans, tum id quod est in homine intelligens, tum Angelos, tum Deum Spiritum S. tum etiam eiusdem dona, quod ultimum liquet coll. 1. Cor. XIV, 12. 32: Gal. V, 16. 17. 18; 1. Thessal. V. 19. Et sane si propter huiusmodi dona homines spirituales dicuntur, ea autem dona sunt effectus reales Spiritus S. qui ad modum formae nos intrinsece perficiunt; patet ea, sive ratione suae causae,

(1) *Λογον του Θεου* esse personam liquet conferenti seq. v. 13. in quo praedicata occurrunt propria personae illique tributa, de quo Apostolus ait in hac epistola se loqui, qui non de Deo simpliciter, sed de Filio Dei loquitur.

sive ratione sui effectus, posse merito appellatione spiritus cohereri. 2) Nomen *spiritus* in loco obiecto accipi potest pro superiore parte animae, quae spiritus et mens dicitur; quae quamvis re non distinguatur a parte inferiore, quae magis proprie anima ψυχή dicitur, distinguitur tamen ratione ideoque etiam nomine; unde ex duplici nomine irrationabiliter infertur duplex realitas: « non enim, ut inquit Hieronymus epist. CXX. ad Hedib. n. 12. locum hunc enarrans, tot sunt substantiae quot nomina. » Praeterea etsi una sit res anima et spiritus, operationes tamen distinctae sunt et diversae: porro Paulus ipsas operationes praecipue considerat: his enim oportet nos praeparare ad adventum Domini. Indirecte tamen dona quoque supernaturalia significat Apostolus, quibus spiritus sanctificatur, et quibus operationes omnes spiritus animae et corporis ab omni labe custodiuntur immunes.

Provocant rursus adversarii ad Patres qui tria distinguunt in homine, spiritum vel mentem, animam et corpus. Ita Nysenus De hominis officio c. 8. Ita Origenes in epist. ad Rom. in ea verba... secundum spiritum sanctificationis, qui ait scire Apostolum mediam esse semper animam inter spiritum et carnem, et aut iungere se carni, aut sociare se spiritui. Ita Ephrem adv. Scrutat. Ser. 18. qui ait nomina divinarum personarum per trinam invocationem se mystice infundere spiritui, animae et corpori. Sed facilis est responsio. Cum enim Patres spiritum in ipso homine tanquam tertium elementum eius distinguunt (in homine inquam tanquam elementum eius: cuiusmodi non est tantum Spiritus, cui coniungitur anima, ut ait Origenes, unitur enim anima Deo), vel vim rationalem propriam hominis, vel donum intelligunt supernaturalis sanctificationis, quorum alterutrum ex contextu testimoniorum dignoscitur. Sane id probari potest 1) ex eo quod iidem Patres qui nobis obiciuntur, tradant alibi apertissime doctrinam dichotomiae: cf. Nyseni superiora testimonia: 2) ex eo quod, teste Epiphano, loco superius citato, nullus Ecclesiae filius assernerit mentem esse substantiam realiter distinctam, non solam facultatem: 3) ex diserta interpretatione veterum. Audi Augustinum De Fide et Symbolo n. 23. « Et quoniam tria sunt quibus homo constat, spiritus, anima et corpus, quae rursus duo dicuntur, quia saepe anima simul cum spiritu nominatur; pars enim quaedam eiusdem rationalis, quae caret bestiae, spiritus dicitur. » E contrario Irenaeus, qui L. V, c. 6. docet animam, spiritum, plasma esse hominem, et unionem ac commixtionem horum trium perfectum hominem efficere, provocans ad I. Thess. V, 23; idem L. II, c. 62. haec habet « quicumque sunt descripti in libro vitae, resurgent habentes suas corpora, suas animas et suos spiri-

tus, in quibus plauerunt Deo: qui autem poena digni sunt, abibunt in eam et ipsi habentes suas animas et sua corpora, in quibus absterunt a Dei bonitate. » Scilicet reprobi animam tantum et corpus habent, non spiritum: spiritus ergo non est pars physica hominis, sed res moralis est, quae nempe homo perfectus constituitur: homo vero perfectus iuxta Patres est homo iustus et sanctus. Huc quoque referri forte potest locus obscurus Tatiani in Orat. adv. Graec. n. 9; cuius tamen tanta non est auctoritas: « Duo spirituum genera nos agnoscimus: quorum alter anima vocatur, alter vero praestantior est anima, imago scilicet et similitudo Dei: utrumque autem primis hominibus datum erat, ut partim materia constarent, partim materiam superarent. » Frequens est enim Patribus, ut videbimus in tractatu De Ordine supernaturali, imaginem aut saltem similitudinem Dei collocare in dono sanctitatis; quod donum collatum est prioribus hominibus, sed amissum postea per peccatum: quo dono non solum physice, sed et ethice homo materiam, h. e. animales condiciones superat. Anima vero data est illis ut materia constarent, nimirum ut essent animans vivens constans ex materia et anima, quae spiritus est. 4) Eadem interpretatio probatur testificatione sequentium Patrum. Auctor orationis (inter opera Chrysostomi) in verba Pauli: *non quod volo facio etc.* disputationem suam concludit contra Apollinaristas ita: « verum haec ad haereticos, qui animam et corpus et spiritum memorant, et vim inferunt apostolico verbo dicenti: Deus custodiat corpus vestrum, et animam et spiritum... spiritum putant esse mentem. Cur ergo Apostolus dixit: psallam spiritu, psallam et mente? Mos est Scripturae spiritum vocare gratiam spiritus. » Et Genadius De Eccles. Dogmat. c. 20. Non est tertius in substantia hominis spiritus; sed spiritus ipsa est anima, pro spiritali natura vel pro eo quod spirat in corpore, spiritus appellatus. Anima vero ex eo vocatur quod ad vivendum vel vivificandum animat corpus. Tertium vero, qui ab Apostolo cum anima et corpore inducitur, spiritum gratiae S. Spiritus esse intelligimus. »

COROLLARIUM. Ex omnibus doctrinae capitibus ac testimoniis sive Scripturae sive Patrum patet hanc esse constantem in Ecclesia rationem loquendi et cogitandi, ut partes seu elementa, ex quibus constat homo, ex quibus fit una natura, quae substantialiter ununtur, dicantur esse *corpus et anima, caro et spiritus*. Mentio alterius rei, quae corpus non sit, quaeque immediate animae uniat, frustra quaeritur apud Patres, atque eos quoque, qui materiae et formae systema haud reiiciebant. Ita Ioannes Damascenus (de fide Orthod. L. III, c. 16) ait: « omnis compositio ex iis, quae proxime componuntur, Palmieri, De Deo Creato et Elevato 16